venit, ut in eorum presencia, quod intenderat, consummaret. Timens igitur, ne post mortem suam lites et contenciones inter filios de principatu fierent, divisit eis terras, cum adhuc viveret. Nam Ottoni tamquam seniori marchiam Misnensem, Theoderico marchiam Lusizacie, Dedoni comitatum Rochelitz, que est terra Plisnensis sive Orientalis dicitur, Hinrico comitatum Witin, Frederico comitatum Brene distribuit. Post hoc itaque possessiones quascumque vel ipse vel uxor eius loco contulerant, per manus filiorum suorum, videlicet Ottonis, videlicet marchionis Misnensis, Theoderici marchionis Orientalis, scilicet Lusizacie, Henrici[a] comitis de Within, Dedonis comitis de Rogelitz, Frederici comitis de Brene offerri fecit, ne aliqua de his post mortem suam questio nasceretur. Est autem quantitas harum possessionum CLXXX tres mansi et dimidius, exceptis his, que ad Nymicensem abbaciam unitam ipsis pertinent, quorum numerus est LXX et dimidia exceptis silvis et vineis. Deinde seniorem filiorum vel heredum quemlibet suorum seniorem in posteritate[a] advocatum loci ordinavit et quod omnes secum sepulturam haberent. His itaque dispositis coram altari beati Petri veteris hominis vestibus exutis et regularis vite habitu per manus archiepiscopi vestitus voluntariam paupertatem pro amore Christi amplexus est cum magno favore presencium, quibus eciam uberrimas devocione lacrimas extorquebat, quod tantam in tali viro mutacionem videbant, in quo videlicet divina misericordia sensum omnem supergrediens luce clarius apparebat. Tunc deinde tyro Christi filios suos advocat ecclesiamque suam, cuius iam membrum effectus fuerat, attencius gracie ipsorum commendat, ut eam tamquam in qua patrem suum et matrem sive viventem seu mortuum[b] habere scirent, et in qua et ipsi requieturi essent, operam suam[c] ubi-

Margin notes:

+ f. CCLVII b

m/ Misnen

= Wittin

Fred.

a) Henricus c.

m/ Missn.

Fred.

(oder unicam)

~~a utc. additum~~

a) in posteritate c. posteica, vielleicht für posterum ~~postor~~ posterum? f deberent. Hic Conradus efficitur marchus Sereni Montis.

+ f. CCLVII c

~~mutacionem~~

b) noctum c. ~~noctum~~ ~~nocturnus~~?

c) suum c.